



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Nona die Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Decembris 9.

N A T A L E S

cit Atta abbas, temporibus Vindiciani episcopi in die sanctorum Simonis & Iudæ: ideoque transfer- tur, & in præuigilio recolitur.

Nona die Decembris.

De translatione sanctæ Leocadiæ.

Ex officio Hispanico, historicis Hispania, & relatione Matthæi Moullarts Prælati ad diuim Gissenum, nunc episcopi Atrebatum.

TOleti, natalis sanctæ **LEOCADIÆ** virgi- nis, quæ nobilis genere, sed nobiliori pro- pósito mentis ornata, in carcerem & ferrea vin- cula coniecta est à Daciano præfecto Hispania- rum: Cumque grauissimos beatæ Eulaliæ & reli- quorum martyrum audisset cruciatus, flexis geni- bus confessionis oratione completa, impollutum spiritum Deo reddidit, quinto Idus Decemb.

Notat Ambrosius Morales Toleti tria eam habere templa Vnum, collegiale, vbi martyrium passa est. Estque ædificium peruetustum, regum quorundam Gothiæ sepulcrum. Alterum colle- giale, vbi sepulta est: in quo celebrata sunt plera- que omnia Concilia Toletana. Tertium parochia- le, quod locum, in quo nata est, occupat.

Corpus autem inde ablatum est, non Colo- niam, vt Vasæus scribit, aut Montes Hannoniæ, vt scribit Cantabay, sed ad vicinam Montibus Cellam sancti Gisseni Calendis Iunij. Quod di- ctus Cantabay refert ad annum septingentesi- mum decimum quartum, quando Mauri expul- sis Gothis Hispaniam inuaserunt. Cellenses autem Hannoniæ populares arbitrantur suo Comiti ob-
tigisse,

Lib. 8. c. 49

eigiſſe, quando in Hiſpanijs regi Francorum con-
 tra barbaros ſuppeticas ferebat. Viſitauerunt has
 reliquias epiſcopi Cameracenſes Rogerus, anno
 ſupra milleſimum centefimo octuageſimo, & po-
 ſtea Henricus à Bergis, anno quadringeſimo
 nonageſimo primo. Sæpius autem Carolus quin-
 tus, Maria Hungarica, & Ferdinandus de Toletò,
 ſolicitarunt Giſſenianos, vt Toletanis ſacrum cor-
 pus redderent. Quod ipſum etiam obnixè Philip-
 pum ſecundum Toletana ciuitas rogauit. Sed
 Giſſeniani patrociniò ſanctarum reliquiarum
 ſuum locum fraudare nolunt, gaudentque prin-
 cipum poteſtatem hætenus vi non præualuiſſe.
 Toletani autem non ignorant apud nos eſſe ſan-
 ctam Leocadium, & ſeſe noſtratum beneficio re-
 cuperaſſe fatentur partem brachij.

Quod Ioan. Valæus & Stephanus Cantabray referunt
 ad donationem Ioannæ vxoris Philippi primi regis Hiſpa-
 niarum. Huius autem narrationis teſtem habeo reueren-
 diſſimum Atrebatum antiſtitem Matthæum Moullartium;
 qui in ſua pro Belgio in Hiſpaniam legatione, cùm abbas
 præſſet monaſterio S. Giſſeni, hæc a Toletanis accepit.
 Quibus ramen nihil indicauit de corpore apud ſe exiſtente,
 nè ex multiloquio in periculum amiſſionis incideret.

Vocat hanc virginem Iulianus Toletanus
 confeſſorem; alij non malè martyrem nominant.
 Nam Cyprianus inter Martyrum memorias cele-
 brari vult Confeſſores, quorum confeſſioni ac-
 vinculis accedit moriendi terminus. Eisque con-
 ſummataſſe martyrij coronam tribuere non du-
 bitat. Epiſt. 37.